

marinarius Ragusij applicuerit portui Ragusij cum naui foresteriorum, et uoluerit ire ad illas partes cum naui predicta, non teneatur similiter extrahere vinum de Ragusio. Et vinum suprascriptum teneatur extrahere cum noticia iusticiariorum vel unius ipsorum. Et qui non obseruauerit predicta perdat, duplum de vino, quod portare deberet, ita tamen, quod marinarius debeat soluere bannum de vino de VIII. et mercator de vino de XXI.²¹⁰⁾

De blaua non emenda occasione reuendendi.

LXVII. Nulla persona audeat emere blauam aliquam in barcis neque in plathea²¹¹⁾ nec in aliquo alio loco, occasione reuendendi possit tamen quilibet emere in tanta quantitate, que ei sufficit pro se et omnibus de familia sua solummodo pro uno anno et non plus. Et qui contrafecerit, soluat pro banno qualibet uice perper. quinque et perdat blauam, saluo si ipse Raguseus portauerit blauam Ragusium; ipse et comes, qui habebunt denarios in entica, quilibet partem suam possint ipsam blauam discaricare et ponere, ubicunque eis placuerit sine aliqua pena; verumtamen teneatur quilibet, qui habuerit partem in entigis, per sacramentum manifestare justiciariis totam partem suam, si uoluerit eam portare domum. Et qui contrafecerit, soluat yperp. quinque. Et qui si aliqua nauis Raguseorum uenerit cum blaua, scribanus nauis teneatur per sacramentum dicere et manifestare justiciariis totam blauam, que portata fuerit in dicta naui, et dare ipsam blauam in scriptis et nomina illorum, qui partem habuerint in blaua predicta.

De blaua non uendenda in burgo neque domo.

LXVIII. Item nulla persona audeat uendere aliquam blauam in burgo neque in domo. Et qui contrafecerit, soluat pro banno qualibet uice perper. quinque et perdat blauam uel tantum quantum ualebit ipsa blaua. Quilibet tamen possit uendere blauam in plateis communis et in stationibus, ut moris est.

De loco ubi debent morari uendentes panem.

LXIX. Quilibet persona uolens uendere panem, debeat stare ad uendendum prope ecclesiam sancte Marie de palude in loco consueto. Et quilibet persona contrafaciens soluat pro banno yperp. vnum et perdat panem uel tantum quantum ualeret panis, et hoc intelligendum est de pane qui sit Ragusij.

Item nulla femina audeat filare²¹²⁾ super panem caseum et poma. Et quecunque contrafecerit, soluat pro banno qualibet uice gross. vnum.

Item nullus tabernarius uel tabernaria, quando uendet vinum, debeat filare neque neque aliquod aliud opus facere. Et qui

²¹⁰⁾ Note links am Rande: Die XVII. Februarij 1392 stat. fuit et ord. (?) quod teneatur extrahere solum medium pred. qt. vini de Ragusio de . . . d. Rectore . . .

²¹¹⁾ Idem q. platea, place, Platz.

²¹²⁾ Idem q. filapare a graeco φυλάσσειν, φυλάσσεσθαι, tueri, servare.